



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Sol.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

ei, qui pedum cursu primus metam attigerit. Et in numismatis, nunc Equus currens, nunc ipse Pegasus, alis adjectis cufus, summa rem alacritate gestam ostendit.

SOL. CAP. IV.

Gallieni
numisma
& Q. Titi.

Alas verò alatus Equus Soli etiam attribuitur. Nam in Gallieni numis alatus Equus est cum inscriptione, SOLI CONS. AUG. In numo verò Q. TITI in quo Pegasus, quasi non satis ex eo expressa esset celeritas, qua in obeundis Reipub. negotiis usus fuerat, barbato ejus capiti ex altero latere cuso addita ala, cujusmodi specie Mercurius in aliquot veterum monumentis conspicitur insignitus. Non desunt verò qui Pegasum in monetis etiam Corinthiorum fuisse tradant, quem Eubolus, Anchise, πὸν πᾶλλᾶδ' ἑλῶλον appellavit. Porrò Pindarus Bellerophontem eo inventum Pegaso, frænum aureum dono à Pallade per somnium accepisse commemorat, unde postea infranandorum Equorum usus ad posteros emanavit eoque, monumento voluerint Corinthii rei memoriam testatam esse. Maro autem noster fræna Lapitharum inventum tradit eo Georgicon loco,

Lib. 3.

*Fræna Pelethronii Lapithæ, gyrosq; dedere
Impositi dorso, atq; Equidem docuere sub armis
Insulare solo, & gressus glomerare superbos.*

HUMANÆ VITÆ LUBRICITAS.

CAP. V.

Sunt & qui Centauros in hoc eodem accipiant significato, quodque illi pube tenus humana forma, reliquum Equina fingantur, vitæ nostræ terminum pernici cursu occupari significare putent: propterea quòd mira lapsi lubricitate incauti semper arripimur. Nullus enim tam senex, qui se annum adhuc non speret superaturum. Sedenim Centauro alibi erit locus suus.



FAMA. CAP. VI.

Papyrii Cur
sori & Ha-
driani nu-
mus.

Non sum verò nescius, authores esse, qui Pegasus, qualem quippe passim in Hadriani & L. Pap. Curforis, & aliorum quorundam numis aspiciamus, famæ potius quam celeritatis indicium esse contendant. Nascitur is ex Medusæ cæde: siquidem virtus cum terrorem amputaverit, famam generat. Terroris & admirationis hieroglyphicum esse Medusæ caput, ostendimus in Serpente, cum de Domitiani gestamine loqueremur. Fama autem ubi primum genita per hominum ora incipit volitare, Musarum excitat frontem in Parnasso: quippe quòd illustrium virorum præclara facinora, vatibus scribendi suggerunt argumentum. Quod vero in Papyrio à re ipsa etiam cognomento Curforis honestato, ex Pegaso alacritatem & festinantiam hominis significari dixeramus, Capræ insuper fugacis spoliū & fulmen & sagitta, quæ in eodem spectantur numo, ad nostrum faciunt intellectum.



PROFUGUS. CAP. VII.

Sed quoniam esse video qui Persea quoque Pegaso inventum putent, examinandus est apud Hesiodum locus de Scuto Herculis, ἰππότα πέρους à Poëta dictum, quo loco Commentatores ajunt, animadvertendum ἰππόταν profugum significare, eamque esse glosiographorum interpretationem. Avus enim Acrisius Persea domo expulit, quem minime moris est usquam Equidem inducere, sed talaribus à Mercurio acceptis præditum aera perfulcare, de quo sic Ovid, Metam. lib. 4.

*----- Pennis ligat ille resumptis
Parte ab utraque pedes, telosq; accingitur unco,
Et liquidum motu talaribus aera findit.*

Unde